

si in alio mitteretur: quod si mittere studueris, in vanum laborabis, quoniam non est communicatio tenebrarum & lucis. Ad corpus ergo simile corporibus, ex quibus tracta sunt ipsa reuixerunt, & parata sunt: quia sic tingens & tingendum vna tinctura facta sunt. Non putes ergo illud quod tingit & fugit esse veram tincturam Philosophorum. Quia sulphura tingunt, & fingunt, nisi simili argento viuo sui generis sint iuncta. Ideo oportet ipsum admisceri argentum viuum alio albo, alio rubeo sui generis, & tincturae fugiat. Quare iubemus argentum viuum commisceri argento viuo, vt praedicitur, donec vna aqua munda fiat.

Et hoc sciendum Adarnech, quod omnia rerum nomina, & eorum similitudines nulla alia de causa ab antiquis contrariantur, nisi & vos intelligatis, quod huius rei principium super fine testatur. Et etiam sciatis quod hoc totum non est res nisi vna, quae patrem huius & matrem, & eius pater & mater ea miscuerunt, & pascunt, nec ipsa a sua matre aliquo modo differre possunt. Rebus ergo mixtis, vt per confixationem multiplicentur, pone vas ad ignem, & custodi fumum, praecauens ne fugiat ab eo aliquid, & regimen totum est: in tempore ignis morare propere vas & iantere medicinam quomodo mouebitur de colore in colore, in minori tempore quam in vna hora diei, quousque veniat ad metam albedinis: citissime namque liquefiet in igne, & congeletur in aere: quia fumus, cum senserit ignem, penetrabit in corpus, & spiritus confringetur in siccum, eritque corpus vnum fixum, clarum, album, vel rubeum, secundum quod medicina fuerit & fermentum. Tunc decide ignem, dimitte totum infrigidari: quia cadit vnum pondus super mille millia, & ducenta millia, cuiusuis corporis vt conuertatur in aurum optimum vel argentum secundum Elixiris qualitatem.

Duodecimus gradus & vltimus huius Scale sapientis & totius operis completius dicitur Proiectio.

Quae ad desideratiuam laetitiam artificem perducit. Vnde pro proiectione in paucis verbis: Sciendum est, quod prius dicitur proijce: id est, pondus vnum super

Major
in symbo
Aur. Men
v. 507.
Turb. p.
395.
Turb. p. 130